



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 12. De deuotione seu oblatione suimet Deiparæ præstanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

nitum dimittere : sedeat iudicans iustitia, stet rea & semetipsam accusans conscientia : nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. manè, præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito canonem. vespere, præteritæ diei rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto, nunquam aliunde lasciuire vacabit, dum ille dies vltimus affulgeat qui nos beatæ transcribat æternitati.

## CAPVT XII.

*De deuotione seu oblatione sui met Dei-  
paræ Patronæ præstanda.*

**V**ulgari consuetudine loquendi, deuotio sumitur pro immissa cælitus suauitate, consolatione, lætitia, sensu & gustu rerum spiritualium, quo vehemētius inflammatur affectus, vt facilè ac iucundè virtutis opera fiant. In Theologicis tamen scholis, ab ea suauitate quæ maximè redundat in corpus, seiungitur deuotio, & à S. Thoma definitur, Prompta voluntas exequēdi quæ ad diuinum cul-

354 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
cultum pertinent. Est enim primus religionis actus, quo se deuouet homo & consecrat diuino cultui. Deuotio enim à deuouendo dicitur, sui ipsius ad Dei cultum oblatio, deditio, cōsecratio. Est quædam consimilis obseruantia atque hyperdulix, qua Dei matrem Patronam optimam colimus, deuotio, deliberata certa que voluntas exequendi quæ ad eius cultum pertinet, cui magna ferè pax animi, tranquillitas, consolatio, lætitia, suauitas interna coniungitur. Nā verissimè de se Beata Mater: *Spiritus enim meus dulcis, & hereditas mea super mel & fauum.* Causa nostræ lætitiæ, & de qua Ambros. Qui potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis & splendida, suavis & virgo, quæ veluti cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. De hac deuotionis appellatione commodius aliàs. Nunc cuiusmodi esse debeat, non quidem edito voto, sed firmissimo tamen animi decreto ac proposito concepta deuotio, consecratio, seu oblatio Deiparæ facta, paucis edisseram. Nec incom-

*Eccl. 24.  
27.*

*In psal. 21.  
sub fin.*

commodè videor quæ disputat D. Basi-  
 lius ad consimilem interrogationem, ad  
 hoc institutum transferre posse. Quærit  
 quonam animi affectu seruiendum Deo,  
 & quid sit omnino quod *Ἀγάθη* voca-  
 mus, animi propositum, bonam affe-  
 ctionem? Respondet sibi videri esse de-  
 siderium Deo placendi vehemens, in-  
 satiabile, solidum, & immotum; vt tri-  
 bus quatuorue notis id propositū Deo  
 seruiendi circumscribere videatur. Tra-  
 ducamus hæc ad oblationem factam à  
 nobis Deiparæ Patronæ, vt sit voluntas  
 Deiparæ placendi, & quæ ad eius cultū  
 pertinent exequendi, primū vehemēs,  
 id est, ardens, intensa, non remissa ac lā-  
 guida, sed summa contentione mentis  
 elicita; deinde insatiabilis, quæ nulla  
 mediocritate officiorum facilè explea-  
 tur, sed alia atque alia præstare semper  
 aueat, velut infinita & inexhausta; de-  
 nique solida, stabilis, firma, certis innixa  
 principijs, ac decretis cōfirmata; postre-  
 mō, immota, constans, perseuerans ad  
 extremum vsque spiritum. Ad Deiparæ  
 obsequium si propensam deuotamque

voluntatem hisce notis insignitam attulerimus, nihil est præterea quod magno-  
 pere à nobis requirat, quàm vt in eius  
 promouendo cultu vim omnem animi  
 nostri conferamus; nullum verò hîc ne-  
 que modum, neque limitem statuamus,  
 minimè vagi & ambigui; sed eisdè pic-  
 tatis & virtutis officijs ad filij eius Sal-  
 uatoris gloriam insistamus. *Esto præcellens*  
*in omnibus operibus tuis*, monet Ecclesiasti-  
 cus, in sacris certè & religiosis, quibus  
 optimæ Patronæ concilianda gratia est;  
 quæ numquam se à nobis liberalitate  
 vinci patietur, in quam quo fuerimus  
 propensiores, & affectu voluntatis ar-  
 dentiore, quo pluribus eam officijs atq;  
 obsequiis studuerimus demereri, eo vi-  
 cissim erit in nos materna cura sollici-  
 tior, charitate indulgentior, denique in  
 beneficijs & gratiæ donis conferendis  
 munificentior. si nulla nos officiorum  
 mediocritate contenti erimus, neci-  
 pla in suis donis beneficijsque terminum  
 ac modum ponet. Illud imprimis om-  
 nino necesse est. Prompta hæc Deiparæ  
 obsequendi & placendi voluntas, fir-  
 missi-

*Eccl. 33.*  
*v. 25.*

missimis quibusdam animi decretis stabilita ad vsque vitæ finem ea bene iuante producat. Inter quæ decreta primum illud esse debet altissimè cuiusque pectori infixum, numquam admit- tendi grauiorem vllam culpam, quæ nos à Saluatoris eius filij gratia & amicitia seiungat, hostique eius capitali cacodæmoni obnoxios ac seruos tradat. Qui culpam eam admittit, hic suæ aduersus Deiparam clientelæ renuntiat, & cum sit hostis filij, matris hostem se quoque profiteretur, rursus crucifigens sibi metipsum filium Dei, & ostentui habens, pollutam ducens ac proculcās diuinum eius cruorem pro peccatis effusum, eoq; grauiorem in filium ac Deiparam contumeliã ingerens, quo fuerat in eorum penitio- rem receptus amicitiam. Quare in So- dalem Partheniũ lethalis peccati ne qui- dẽ cogitatio cadere deberet. Sed hoc al- terum illi decretum summo studio foret obseruandum de vitanda insuper omni culpa veniali, quæ certè ex animi propo- sito, & certa sententiã suscipitur, si præca- uere nõ potest innumeras, quæ ex surre-  
ptio-

ptione sese non cogitantibus ingerunt.

*Psal. 118. 1. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Hi gratissimi sunt Deiparæ Sodales, & quo erat animo Rex David, eodem & ipsa est aduersus suos, tanto impensius, quanto magis, & innocentia;*

*Psal. 100. v. 6. & 7. & puritatis amans. Oculi mei ad fideles terra, vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus mee qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* Si tamen, quæ imbecillitas est humana, in aliquam aliquando prolapsi culpam fuerimus, mox ad pœnitentiæ Sacramentum adeamus, illudque sit tertium certissimum animi decretum, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistię obeundi quàm frequentissimè, præfixis omnino temporibus Sodalitatis lege atque instituto nunquam illa prætermittendi, tum cæteras ad Deiparam preces consuetas, Litanias, Rosarij pensum diurnum quæcumque grauissimæ incidant occupationes exequendi: quæ sicerunt temperandæ, vt nunquam quod satis sit ad hæc in Patronam officia

pie-

pietatis cæteris longè curis anteponen-  
da, vacui temporis desit. Denique si ca-  
gamus, vt nos obsequij nostri Deiparæ  
exhibiti sub extremam horam minimè  
pœniteat, sed illam tum maximè beni-  
gnam propitiamque in hoc extremo fu-  
turam agone confidamus & experia-  
mur.

## CAPVT XIII.

*De annua deuotionis huius seu obla-  
tionis innouatione.*

**E**A est infelix naturæ nostræ conditio,  
vt in eodem siue corporis, siue men-  
tis statu minimè diu subsistat, sed aut  
proficiat atque incrementa sumat, aut  
decreseat atque deficiat. Cùm prima  
ferueant vitæ melioris initia, sensim illa  
tepscunt, & nisi magna adhibita cura  
conseruentur, & subinde innouentur,  
ferè languescunt & cuanescent. Quem-  
admodum qui aduerso flumine lem-  
bum trahit, si remiserit manus, statim re-  
tro labitur, ait præclarè Hieronymus: sic  
hu.  
Lib. 3 ad-  
uersus Pe-  
lagium.